

**Tentamen de morbo pellagra, Vindobonae observato / Auctore Aloysio Careno.**

**Contributors**

Careno, Luigi, 1766-1810.

**Publication/Creation**

Vienna : A.A. Patzowsky, 1794.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vbxct5uj>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

260

17267

CARENO  
DE  
MORBO PELLAGRA.



16/60/P

TENTAMEN  
DE  
MORBO PELLAGRA,  
VINDOBONÆ OBSERVATO.


---

AUCTORE  
*ALOYSIO CARENO*  
PHILOS. ET MED. DOCT.

---

VINDOBONÆ  
TYPIS ET IMPENSIS A. A. PATZOWSKY.  
M DCC XCIV.





Quæcumque in natura fundata sunt , crescunt  
et augmentur , quæcumque autem in opinione varian-  
tur , non augmentur .

*VERULAMIUS de dignitate et  
augmentis scient.*

---

Absolutis scientiæ Medicæ in Universitate Ticinensi studiis , anno 1787 Mediolanum petii , ut in magno hujus Urbis Nosocomio praxim Medicam exercerem . Varii generis ibidem , variæque indolis morbos mihi observare licuit ; quos inter *Pellagra* præcipue eminet , cuius symptomata , medendiæ methodum a præclarissimo Professore *Videmario* adhibitam ,

accuratissime , omnique animi atten-  
tione examinavi.

Postea *Viennam Austriae* adii an-  
no 1788, ibique quatuor fere annos  
visitandis tum in Nosodochio civico ,  
tum in Nosodochio militum ægris im-  
pendi , et morbos in hoc climate ob-  
vios cum iis , quos in patrio solo ob-  
servaveram , solertius comparavi ,  
variamque a variis Medicis adama-  
tam medendi methodum perspicere  
conatus sum.

Eodem labente anno in Nosoco-  
mio civico , præstantissimo Medico  
*de Vigiliis* nondum e vivis erepto , in  
duobus ægris Pellagræ symptoma-  
ta deprehendisse mihi videbar ,  
quorum historias simplicissima narra-  
tione describam.

---

## OBSERVATIO I.

---

Vigesima quarta Octobris vir 46 annorum ex Carynthia\*) oriundus, in Nosocomium magnum adportabatur, delirus, voce rauca, vola manuum rhagadibus est obsessa. Calor febris haud intensus, non urens. Ardor pedum, cutisque in illorum dorso nigricans, hinc inde scissa. Fœtor ingens, debilitas summa; ructus ovum putridum redolentes; alvi fluxus, ventris mollities.

---

\*) In Styria Carynthia et Tyrolo in locis humidissimis, strumosi et cretini ad aures et pedes non nullam memorat desquamationis cutaneæ pellagrossæ naturæ speciem *Gautieri* in opere „*Tylenium, Carynthiorum Styriorumque struma a Josepho Gautieri M. D, observata, descripta Vindobonæ 1794.*“ 8vo.

Decoctum corticis Peruviani cum aliquot guttis spiritus nitri dulcis *De Vigiliis* præscripserat, ut scilicet symptomata ab humorum putredine orta compesceret; at frustra. Æger altera die versus noctem phreniticus, sequenti mane obiit. Cadaver sectum non est.

---

## OBSERVATIO II.

---

Eodem anno secunda Novembris, fæmina 28. annorum circiter, ex pago S. Viti (St. Veit) robusto temperamento prædita, in suprad. Nosocomium suscipitur. Decubuit ibidem in cubiculo N<sup>o</sup> 32, in quo D. M. Dr. *Filling*, modo Physicus in Polonia, Medicisecundarii munere fungebatur.

Manus pedesque hujus ægræ phlyctenis obfessæ, epidermide pluribus in locis decidua. Amicus meus **D. Kurzweil** (linguam enim germanicam fere nondum callebam) sequentia symptomata mihi narravit.

Amblyobia; sapor quasi a ciborum salorum ingluvie, capitis et scapularum dolores, visus per vices hebetatio, vertigo vix non assidua; nox insomnis, appetitus dejectio, alvus aquosa, cœterum sana.

Ob linguam glutine obductam lenia eccoproctica exhibebantur, mixtura scilicet salina Pharmac. Vindob. qua alvus sæpius movebatur.

At altera die continuato hoc remedio diarrhæa accedit, sequenti etiam die haud cessans, et ægra fractis jamjam viribus delirat. Mox itaque cum prædictus Medicus mor-

bum hunc pro febre bilioso-rheumatica in putridam tendente haberet, (eruptio ad manus et pedes, dolores, vertigo, visus hebetatio, pro rheumaticis habebantur), infusum radicis Valerianæ exhibuit ita, ut ægra sexies de die hujus infusi ex uncia Rad. Valer. ex libris ij aquæ parati sumeret, simulque balnea tepida viginti quatuor vicibus repeti jussit. De die lene infusum florum Sambuci ex unc. ij. parati cum Roob ejusdem unc. j. præscripserat.

Hisce remediis alvus binis ternis ve vicibus intra nycthemerum sollicitabatur. Mense Decembri ad finem vergente epidermis desquammabatur, atque ægra 4<sup>ta</sup> Januarii 1789. fere ex integro sanata Nosocomio valelixit. Promiserat mihi equidem, si forte in urbem venerit, me velle adire; sed huc usque promissis non stetit.

---

## OBSERVATIO III.

---

Ab eo tempore nulla se mihi occasio obtulit hunc morbum observandi, etsi sedulas ubique disquisitiones instituerim; elapso tandem anno 1792 hunc morbum iterum observare mihi contigit.

Die 24 Junii Suburbium *Wieden* ægros visitandi caussa pedibus adeuns, in pauperem hominem mendicum incidi, in pago *Hütteldorf* degentem, 38. annorum, macilentum et extenuatum. De magna capitis debilitate, doloribus vagis, lacinantibus terebrantibusque conquerebatur. In dextera manu, quæ tumorem erysipelatodem referebat, phlyctenæ plurimæ. Collum, jugulum, pectus, brachia,

tibias fœdo furfure conspersa vidi, cu-  
temque in his omnibus locis scissam  
exiguam, at fœtentissimæ materiæ co-  
piam plorantem. Ad hæc amblyo-  
pia, bis terve per diem redeuns, sub-  
sequa mox idearum confusione, tem-  
pestate præsertim calida. Febris vix  
ulla. Adventante hyeme omnia hæc  
symptomata sensim disparuere, et  
naturalis cuti nitor et albedo rediit.

Sub finem autumni, mensibus  
nempe Octobris et Novembris æger  
baccas sambuci magna copia victi-  
tabat, iisque fere solis vitam trahe-  
bat, sub quarum usu prædicta symp-  
tomata disparuerunt. Sambucina au-  
tem remedia autumno viribus medi-  
catis excellere, propria experientia  
edidicit; eadem enim redeunte una  
cum vere morbo exhibita, nil leva-  
minis attulerunt.

Johannes *Koher* (hoc enim illi nomen erat) elapso anno 1792 quinque vicibus me adiit. Consului, ut sero lactis depurato, cum radicibus cichorii et lapathi acuti uteretur, simulque, ut saepius me accederet. Numquam tamen eum postea vidi.

Die 27. Januarii anni 1793. curiositatis gratia pagum *Hütteldorf* (unica ab urbe hora distat) adii, scitaturus, quid cum ægro factum sit, nec minimum tamen rescire potui.

Die 23. Martii; cum iterum in eumdem Pagum accederem, detecta tandem ægroti vidua sequentia mihi narravit.

Maritum ultima Novembris anni 1792 gravi colica inflammatoria correptum, septem horarum spatio periisse; Ob vertiginem fere affi-

duam, quæ ægrum mense Septembri tenuit me accedere amplius non potuisse; vehementes simul dorsi et scapularum dolores accessisse, vix per aliquot minuta de nocte mitigatos. Cæterum eadem plane, quæ quondam maritus mihi narraverat symptomata, repetiit; immo addidit: ægrum de assidua salivæ falsedine conquestum fuisse, tantaque fiti excruciatum, ut tribus quatuorye aquæ mensuris haustis, eam extinguere non potuerit; insuperque crampo pedum fuisse vexatum. Matrem et tres infantes attente examinavi; nec ullum Pellagræ vestigium deprehendere mihi licuit; quod sane opinioni *Frapollianæ* favet „*neminem arbitror somniaturum, Pellagrum esse morbum contagiosum.*“

An ex iis, quas modo enarravi, historiis, pathognomonica *Pellagræ* symptomata possint erui, iis judicandum relinquo, qui præclarissimorum

virorum *Strambi*, *Videmari*, *Gherardini*, *Fanzago*, *Titii*, aliorumque opera perlegerunt, aut morbum ipsum propria experientia cognitum habent.

Si enim symptomata, quæ in tribus hisce morborum historiis a me notata sunt, consideremus, in *prima* nempe: vocem raucam, volam manus rhagadibus obfessam, summam debilitatem, delirium &c; in *secunda* manus et pedes phlyctenis obfitos, epidermidis desquamationem, diplopiam, saporem falso, dolores vagos, visus hebetudinem, delirium, viriumque prostrationem; in *tertia* peculiarem illam furfuracem cutis in manu defœdationem: idearum confusionem &c. nullum mihi sane dubium supereft, omnes hosce ægros Pellagra laborasse.

Præcipua nunc hujus morbi symptomata ex optimis auctoribus collecta breviter recensebo.

Manuum pedumque cutis maculis variis, modo rubris, erysipelati non absimilibus, modo luridis; coloris defœdatio, non raro rhagadibus scissa, epidermide in manibus infurfures exfoliata, aut lichenibus quasi affecta.

Jugulum, collum, brachia, pectus, tibiæ, universim omnes corporis partes vestibus nudatæ, solique expositæ, impetigine et vitiligine, — præcipuis hujus morbi symptomatisbus — tenentur. Epidermis nasi, manuum, colli in squammas abeunt; desquamatione æstivo præsertim tempore redeunte, hyeme autem iterum evanida.

Sapor oris salsus; sputa falsa.

Amblyopia, diplopia, visus hebetatio, vertigo, asthenia, agrypnia.

Dolor vagus, pungens, gravans, lancinans, terebrans, rodens cum sensu ardoris, quasi flammæ in cerebro accensæ, aurium tinnitus bombosus, capitis susurrus vertiginosus, cephalaea, pulsatio in cerebro, stupiditas.

Oris ardor, linguæque excoriatio, gutturis erosio, os aphtosum; vox rauca, aphonia, bulimia, dysphagia, anacatharsis, respirandi difficultas, pectoris ariditas; odor pecularis (juxta celeberr. *Strambium*) folliculos bombycum maceratorum redolens. Febris anomala.

Dolor per totam dorsi spinam ad collum, scapulas diffusus, artuumque rigor, molestus in plantis pedum ardor. Delirium, risus far-

donicus, garrulitas, trismus, carphologia; tendinum subsultus. Affectiones nervorum, scelotyrbe, extortiones, paraplegia, spasmi, tetani, crampus, umbilicus retro tractus. Subinde tales ægri maniaci evadunt, magno animi (observante doctissimo *Moscati*) fese in aquis suffocandi impetu. Maculæ nigræ totum corpus defœdantes; ptyalismus, diarrhæa, sudor nocturnus, urina inscisæ ægris missa &c.

Perfecta aphoniam, assiduus erosionis in trachea sensus, deglutitio difficultis, tussis molesta, frequens, hemophthysis, gravior cephalæa, febricula vaga, macies, propinquam mortem prænunciant.

Expositis hucusque, absque definita lege, quæ Pellagram solent comitari, symptomatibus, quasdam adhuc animadversiones adjungere,  
quas

quas mihi lectio celebrium de hoc morbo auctorum suggerit, non superfluum esse existimo.

Ac primo quidem Amicus meus Dr. *Fanzago*, qui hunc morbum in territorio Veneto observavit, Pellagram tribus hisce signis dignosci posse arbitratur *1<sup>mo</sup>* cutis desquamatione in illis corporis humani locis, qui soli exponuntur: *2<sup>do</sup>* asthenia, majori tamen crurum debilitate; *3<sup>to</sup>* animi hebetatione, ex vertigine stupideitate, oblivione, delirio &c. manifesta.

Hæc itaque symptomata, si alia insuper accedant, affectiones scilicet cutaneæ, asthenia, capitis spinæque dorsi dolores, spasmi, vertigo, aurium tinnitus, diplopia, delirium &c. facilior certe, probabiliorque erit hujus morbi diagnosis.

**I**llam Pellagræ divisionem, quam *Frapolli* statuit, in *initiatam, confirmatam, desperatam*, lubens hic silentio prætereo ; neque cauſtas cum remotas, tum proximas enumerare, et in classes redigere mihi animus est : cum de his omnibus ii auctores, qui peculiäriter de hoc morbo scripserunt fusius egerint. Ad hæc magnus inter illos de hac re dissensus obtinet.

*S*trambius enim Pellagram ex atra bile, abdominis viscera obſidente, repetit — *Iansenius* læſum cerebrum accusat. *Frapolli* ardentes folis radios inculpat — *Videmarius* ardorem imi ventris ad crura propagatum, bilis sanguinisque stagnationem, cauſsam esse statuit, adeoque morbum totius systematis nervosi affectionem, seu malum hyppocondriacum esse vult.

Si mihi aliam his conjecturis opinionem addere liceat, mallem peculiarem succorum in systemate lymphatico degenerationem tamquam præcipuam Pellagræ caussam agnoscere, etsi non negaverim, plures simul ad producendum hunc morbum caussas concurrere posse.

Pellagram autem uti *Titius* asserit, *erysipelas esse periodicum nervosum chronicum*, hac tam premitur difficultate, quod symptomata non raro nullam omnino periodum observant.

Constans cæteroquin est observatio, morbum hunc frequentius rusticos quam cives corripere; ut igitur pellagram in plebe rusticana gravioribus caussis ali, palam sit. An pravum ciborum potulentorumque

genus , an populi miseria ,\*) an solidorum infractum robur , an actio radiorum solis , an peculiare ex acre patrio haustum venenum caussa horum sit? — id certe ignoramus , et nostram in explicando morbo ignorantiam fateri melius est , quam erronea et ficta morbi explicatione in novos , praticosque errores præcipitari.

Pellagram novum Insubriæ morbum esse non crediderim , etsi id certum sit , morbum hunc hisce temporibus latius grassari , pluresque homines corripere , ita ut metus subsit , populationis inde aliquando posse jacturam fieri. Symptomata itaque in tribus supra recensitis historiis ex-

\*) FRANK in egregio suo opere Delect. opuseul. med. T. IX. Ticin. 1790. *De populorum miseria morborum genitrice.*

posita , aliquam forte in determinando hoc morbo utilitatem præstabunt, et optandum sane est, ut verior hujus morbi indoles aliquando melius nobis innotescat.

*Videmarius* Mediolani asserebat, symptomata Pellagræ, seu , ut ipse existimat, mali hypocondriaci, a filio suo Vindobonæ in Nosocomio Universali, ubi maxima cum laude sanandis ægris, tamquam Medicus Primarius præfuit (at eheu in florentissima ætate e vivis eruptus) fuisse observata , ut itaque mihi etiam hunc morbum se obtulisse, mirum non sit.

Neque de cura Pellagræ ex instituto agam ; Antidotum enim nondum habemus. Eccoprotica , resolventia , sanguinem purificantia , balnea &c. subinde morbum fugarunt, qui tamen post aliquod temporis spatium redire iterum solet.

Aliqui Pellagram pro specie scorbuti habent. Illis autem *Jansenius* sequentia opponit „patet scorbutum in pellagrosis non aliter quam morbum accessorium judicandum esse, hancquè sententiam ejus cura confirmat, nimirum pellagrosorum scorbutus æque ac in aliis hominibus, remediis antiscorbuticis ac justo regimine facile, nisi nimium progressus fuerit, sanatur, Pellagra ne minimum mutata“ Ut itaque Pellagram morbum esse sui generis nullum omnino dubium sit.

An Epidemicus, Endemicusque morbus Pellagra? *Frapolli* eum pro sporadico habet, Pellagra enim nec universim grassatur, nec alicui regioni peculiaris est, agricultasque ut plurimum in *Insubria* hic et illic indiscriminatim aggreditur. Utī trichoma Polonos vexat (*ait Jansenius*), struma deturpat Alpicolas, elephantia-

sis et lepra Africanos , farcocele in regnis Salam et Barrah frequens est , Helveti præ cæteris herniis laborant — hinc et Insubriæ incolæ Pellagra inficiuntur . At nihilominus hi morbi etiam alibi terrarum poterunt subinde comparere .

Sufficit mihi in præsentiarum ea , quæ ipse observavi , fideliter retulisse . Forsan erunt in his terris , qui eundem morbum , etsi non sub hoc nomine sibi notum , sanandum habuere ; forsan alii , meis observationibus attentiores facti , pellagram in posterum observabunt , atque hos humanissime rogatos vellem , ut me , si occasio occurrat , de talibus ægris certiorem reddant ; ut conjuncta propria , quam ex autopsia mihi comparavi hunc morbum dignoscendi facilitate , simul in indolem Pellag्रæ , medendique methodum amice inquiramus , quam certe medico-

rum benevolentiam omni quā possum animi gratitudine accipiam. Interim ut habeant, quos in ejusmodi casibus consulant, auctores, scriptorum Catalogum huic tentamini adjcere constitui.

---

---

Inter Auctores, qui de Pellagra usque adhuc scripserunt, sequentes præcipue recensendi veniunt.

---

FRAPOLLI, (Franc.) *Animadversiones in morbum vulgo Pellagram.*  
Mediolani 1771. 8.

ZANETTI, (Franc.) *de Morbo vulgo Pellagra Dissertatio.\*)*

GHERARDINI (Mich.) *Della Pellagra*  
*Milano 780 4. \*\*)*

---

\*) *Hæc invenitur in Act. Natur. curios. Tom. VI.*  
*Norimb. 1773 4to. obs. xxiv. pag. 118 et seq.*

\*\*) *Idem Germanica versione „Geschichte der Pellagra aus dem Ital. Lemgo 1792 8.*

**ALBERA** (*Gio. M.*) *Trattato teorico-pratico delle malattie dell' Insolato di primavera volgarmente dette della Pellagra.* *Varese* 784. 8.

**STRAMBI** (*Cajet.*) *De Pellagra observationes, quas in regio Pellagrosorum Nosocomio collegit Dr. Caj. Str. regius ejusdem Director Anno I. II. III. 784—87. Mediolani 786—89. 3 Vol. 4.*

**JANSEN**, (*W. X.*) *De Pellagra morbo in Mediolanensi Ducatu endemico. Lugd. Batav. 787. 8. \*)*

**VIDEMAR.** *De quadam impetiginis specie, morbo apud nos in rusticis nunc frequentiori vulgo Pellagra nuncupata. Mediolani 790. 8.*

\*) *Hæc Differt, habetur etiam in suprad. Delec. opusc. medicor antehac in German. divers. Accad. editor. præstantiss. Prof. et Praeceptoris mei Johan. Petr. FRANK Vol. IX. Ticini 1790.*

FANZAGO (Franc.) *Memorie sopra la Pellagra del territorio Padovano.* Padova 789. 4.

— — — *Paralelli fra la Pellagra ed alcune malattie che più la rassomigliano* Padova 790. 8.

DALLA BONA (Paolo) *Discorso comparativo sopra la Pellagra, l'Elefantiasi de' Greci o Lepra degli Arabi, e lo scorbuto; ed alcune riflessioni intorno la cura.* Venezia 791. 8.

SOLER (Luigi) *Osservazioni medico-pratiche che formano la storia esatta di una particolar malattia chiamata Pellagra, in cui si espongono i veri caratteri, le differenze, le cause, ed il metodo giudicato il più utile per curarla.* Venezia 791. 8.

TITIO (Constant.) *Pellagræ morbi inter Insubriæ Austriacæ agricolas grassantis Pathologia, Commentatio.* Lips. 792 4.

Legi quoque possunt Auctores, qui  
hujus morbi, quantum ipsis ex  
aliorum scriptis innotuerat, men-  
tionem fecerunt, aut alios mor-  
bos pro Pellagra habuerunt,  
ex. gr.

---

KAPP (*Chr. Erh.*) *in suis animadver-*  
*sionibus ad Cullen. Anfangsgrün-*  
*de der praktischen Arzneykunst.*  
*2. Auflag. B. IV. Leipzig 789.*  
*pag. 505 et seq.*

JUNKERI (*Chr. Guill*) *Conspectus re-*  
*rum, quæ in patholog. medici-*  
*nali pertractantur. Vol. II. Ha-*  
*lœ 790. 8. pag. 180. Seq.*

HENSLER *in loc. cit. pag 385.*

ODOARDI (*Giac.*) *D'una specie par-*  
*ticolare di scorbuto Dissertazione*  
*recitata li 18 Luglio 776 \*).*

---

\* ) *Hæc typis impressa fuit „nella Nuova Rac-*  
*colta d'opuscoli scientifici e filologici. T. 30*

SARTAGO. *Aneddoti Patrii Nro. 22  
Venezia 792. \*)*

THIERRY (*apud Vandermonde*) *Re-  
cueil periodique d'Observations  
de medicine, de Chirurgie et de  
Pharmacie. Paris T. 2. 1755  
pag. 337. \*\*)*

GIORNALE \*\*\*) *per servire alla storia  
ragionata della Medicina di questo*

*Venezia 1776 in 12mo Nro. 7 „et etiam“  
negli Opuscoli scelti sulle scienze e sulle Arti  
di Milano Vol. V. 4to.*

*Auctor iste loquitur de morbo in provin-  
ciis Feltriensi, Belluensi, Foroiulii endemicō,  
atque Pellagræ, juxta TITIUM, simillimo.*

\*) *Sub nomine scorbuti montani descriptis Pel-  
gram.*

\*\*) *Et in versione Germanica „Sammlung aus-  
erlesener Wahrnehmungen aus der Arzney-  
wissensc. Wundarzney, und Apothekerkunst  
aus dem Franzöf. B. 2. Frankf. u. Leipzig  
1758. 8. pag. 334.*

\*\*\*) *Opus periodicum summi prætii pro Medici-  
næ cultoribus. In hoc recensiones Operum*

*secolo T. IV. anno 1787. pag.*

*334—350. 4.*

**GIORNALE T. VII. pag. 412—418**

*et in eodem Volumine — pag.*

*412—466 anni 1791. 4.*

**VAN DEN HEUVELL.** *Tentamen*

*nosologicum sistens morborum,  
a vitio vis vitalis divisionem etc.*

*Lugd. Batav. 1787. 8. pag. 415*

*et seq.*

*Strambii, Iansenii, Videmarii  
inveniuntur.*

esprit  
P.  
B.

~~RR - W. J. M.~~



